

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Stockman, Phil.  
& Med. D. ac Prof. Ad Exsequias Quas Annae Heldinn/ matronae pientissimae  
honestissimaeque Cognati & Propinqui paratas cupiunt Omnes omnium ordinum  
Cives Academicos amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777515199>

Druck Freier  Zugang




Stockman, J.,  
in A.Held,  
uxor. R. Schlorff.

Rost. 1650.

27.







PROGRAMMA  
Quo  
RECTOR  
Universitatis Rostochiensis  
JOACHIMUS STOCKMAN,  
Phil. & Med. D. ac Prof.

*Ad Exsequias*

Quas

ANNÆ Geldinn/

matronæ pientissimæ hone-  
stissimaque

Cognati & Propinqui  
paratas cupiunt.

*Omnes omnium ordinum Cives Academiae  
amanter invisas.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.  
Anno M. DC, L.



Xtulimus hactenus  
acerba plerumq; funera,  
quando Infantes, pueri,  
adolescentes: quando, ut  
loquitur Catullus,

*Latijvenes Argivæ ro-  
bora pubis,*

ante diem in Libitinæ cen-  
sum relata fuerunt. Hoc die etiam matronæ  
non quæ senectutis (facit enim hanc triplicem  
Galenus) crudæ; à qua senes appellat *ἠμογήεντις*;  
non quæ circa annum LX. à qua *γέροντις*; sed de-  
crepitæ, à qua *πυμπίλας* vocitat; matronæ, inquam,  
quæ vitæ spacium satis longum, imò longissi-  
mum humanæ conditionis terminum, tertium  
scilicet & nonagesimum annum, rarissimo pro-  
fus exemplo, non ita pridem explevit, exsequias  
est eundum. Mors itaque tam juveni, quod mo-  
net Seneca, ante oculos debet esse, quàm seni.  
Non enim citamur ex censu, Nos egregiæ ac præ-  
stantissimæ hujus matronæ funus prætermitten-  
dum tacitè non censuimus, tum propter alias  
laudes, quibus ornata fuit; tum quia in hoc ipso  
sequio-

sequiore sexu, cui modestia & quies propria est,  
nihil tranquillius eâ ac verecundius fuit. Quod  
tanto majori gloriæ est, quanto ambitione scemi-  
narum ut impotentius nihil est, ita nec temerè  
aliud deforme æquè ac perniciosum. Sed ordine  
ut exponamus de Nostra quæ accepimus, ab ipso  
principio rectius ordiemur. Nata igitur illa heic  
Rostochi est d. XXVI. Decembris, anno supra  
millesimum quingentesimum quinquagesimo  
septimo, patremq; habuit CORD HELDEN ci-  
vem & Cerevisarium heic loci olim non postre-  
mum. Matrem sortita ANNAM Havemans fuit,  
sceminam honestissimam. Avus paternus fuit  
JOANNES Held Civis & Senator oppiduli Cre-  
plinensis. Avus maternus JOACHIMUS Haver-  
man ejusdem oppiduli Consul laudatissimus.  
Aviam paternam habuit CATHARINAM Ege-  
gers; aviam maternam ELISABETAM Winder-  
mans / matronas ornatissimas. Hac in familia,  
hisce ex majoribus & parentibus nata ANNA  
non posuit pietatis & morum optimorum suc-  
cum cum lacte materno non imbibere, & in offi-  
cinis pietatis postea magis magisq; eo imbui &  
præparari, donec tandem purpurâ virtutis seriò  
tingeretur, eamq; in omni vita sua, omnibus in-  
actionibus circumferret, nec unquam depone-  
ret



ret. Postquam Defunctæ nostræ Sorores. DO-  
ROTHEA, quæ CASPARI Buerfchop / Civi ac  
hujusloci cerevisiario: AGNETA, quæ pruden-  
tissimo & literatissimo Dn. FRANCISCO  
SCHRADERO, Senatori Reipub. hujus di-  
gnissimo nupserat; postquam & defunctæ frater  
JOANNES Held Civis ac Notarius, cui primò  
nuptū data erat ANNA Schwieders ex qua filiam  
sustulit unicam CATHARINAM, quæ in matri-  
monium data fuit FRANCISCO Buecken Civi  
& negotiatori (ex cujus conjugio HENRICUS  
Bueck Notarius & unica filia SOPHIA Bueckes  
adhuc sunt in vivis) secundis verò nuptiis MAR-  
GARETA Eggers ex quo conjugio itidem unica  
filia MARGARETA nupsit viro reverendo &  
doctissimo DN. PETRO SCHARLINGIO  
Pastori apud Tretovienses vigilantissimo; post-  
quam Ejus, inquam, sorores nominatæ ac frater  
maturâ morte huic orbi valedixissent, sola No-  
stra & una ex HELDIORUM familia re-  
mansit, cumque ea jam tota simul exstincta est,  
Anno clc. loc. XXC. Deo ita dirigente, & suafu  
Parentum nuptum data Koloff SCHLORFIO  
fuit, Civi primario; cum quo XXIII. annos con-  
corditer conjuncteque vitam egit, eique filiam  
unicam ANNAM edidit, quam in matrimoni-  
um duxit vir spectatissimus & literatissimus Dn.  
JOAN-

JOANNES Schind Poeta Laureatus, Centum-  
vir & templi Nicolaitani praefectus commenda-  
tissimus. Sed Eo d. XX. Decembr. An. clō Ioc III.  
extincto, posteaquam supra biennium misera-  
bilium personarum sortem & viduitatis mole-  
stias magno suo malo experta fuerat, ad secun-  
das nuptias transit, & virum prudentissimum  
DN. HARTWICH Bolten Senatorem hujus  
Reip. quondam gravissimum, maritum sibi ele-  
git, apud quem non existit quidem iterum ma-  
ter, sed quod tamen æquo animo tulit. Cùm ve-  
rò & hic maritus, cùm quo jam ipsos XXII. an-  
nos sine jurgio ac offensa vixerat, diem suum An.  
clō Ioc XXIV. d. XXI. Martii obiisset, ad filiam  
ante nominatam sese recepit, rata eam, dum in  
vivis esset, sibi singulari solatio fore. Quæ spes  
tantum abfuit ut Eam decollaret, ut potius ex a-  
nimi sententia voti compotem faceret. Tandem  
verò aliter Deo visum fuit, dum non solum filia  
illa An. clō Ioc XXXII. mense Octobri, sed &  
maritus ipsius d. XXIII Decembr. intra decem.  
& unius septimanæ spacium uterque è vita dis-  
cesserunt. A primis usque annis, & cum maximè  
illis XXVI. viduitatis, studiosam pietatis fuisse  
Nostram novimus. Hinc semper in orationibus  
ac precibus fuit: nec ullum acroama, dum vires  
ipsum permittebant, æquè audiebat libenter,  
A 3 quàm

quàm verbi divini præcones: qui consequendæ  
felicittatis æternæ magis, quàm hujus caducæ re-  
cuperandæ vias ac rationes se edocerent. Viduis  
& pupillis pro virili benignè fecit. Neque enim  
tenax in largitionem, nec lenta fuit in eleemosy-  
nam. Non nequicquam persuasa, bonâ fide ama-  
re DEUM haud posse, qui negligeret proximum;  
laborantem in primis necessitate aliquâ. Re-  
ditus sacros ad ædem D. Nicolai pro sua virili  
auxit liberaliter. Sub initium verò novi hu-  
jus anni d. IX. Januarii circa nonam vesper-  
tinam malè habere cæpit, illicoq; timuit omnia,  
& nihil non suspectum habuit, cùm senex esset,  
cujus ætas, quo per se imbecillior minusque ro-  
busta est, cò facilius valetudine superari atque  
elidi penitus potest. Id quod etiam factum, licet  
media & auxilia ipsi non deessent. Die enim  
XVI. Jan. horâ quintâ matutinâ, præsentem viro  
reverendo & Clarissimo DN. M. JOANNE  
STEINIO ad D. Nicolai Pastore & Poëta  
Laur. Cæsareo (quo ministro ante paucos de-  
mum dies sacrâ synaxi usa erat) aliisque adstan-  
tibus honestis feminis inter preces & suspiria, so-  
luta placidissimo obitu spiritum suum vitæ satu-  
ra DEO Servatori, à quo acceperat reddidit: ex  
terrestri patria, quam 93. annos incoluerat, emi-  
gravit in illam cœlestem, cujus figura speciosa,  
men

mensura spaciosa, structura pretiosa: ubi CHRIS-  
TUS regnat sine malitia, veritas sine fallacia,  
felicitas sine miseria. O vitam non tantum lon-  
gè protractam, sed & bene transactam! ô migra-  
tionem beatam! ô permutationem fortunatam!  
quæ bona conjuncta optare sibi multi possunt,  
sperare pauci.

Quod reliquum est, Cives ACADEMIÆ, ad  
Horam mediam primam efferetur postea cor-  
pus Ejus & humabitur. Cujus exsequias ut fre-  
quentes obire velitis ac celebrare, & noshorta-  
mur magnopere, & vestri quoque officii erit. In-  
ter eundem & vosmet ipsi mortalitatis vestræ  
estote memores.

*Nam breve festum est  
Hæc mundi gloria:  
Ut umbra hominis  
Sunt ejus gaudia.  
Quæ semper subtrahunt  
Æterna premia  
Et ducunt hominem  
Ad rura devia.  
Nil tuum dixeris  
Quod potes perdere.  
Quod mundus tribuit  
Intendit rapere:*

*Superna*

*Superna cogita*  
*Cor sit in athere.*  
*Felix qui poterit*  
*Mundum contemnere!*  
P. P. sub sigillo Rectoratûs. An. clō Iac L.  
d. XXII Januarij.  
*Conventus fiet hora media prima in aed*  
*D. Nicolao sacra.*














mensura spacioſa, ſtructura pretioſa  
STUS regnat ſine malitia, veritas  
felicitas ſine miſeria. O vitam non  
gè protractam, ſed & bene tranſac  
tionem beatam ! ô permutationem  
quæ bona conjuncta optare ſibi miſ  
ſperare pauci.

Quod reliquum eſt, Cives A C A  
Horam mediam primam efferetu  
pus Ejus & humabitur. Cujus ex  
quentes obire velitis ac celebrare,  
mur magnopere, & veſtri quoque  
ter eundum & voſmet ipſi morta  
eſtote memores.

*Nam breve feſtumeſt  
Hæc mundi gloria  
Ut umbra hominis  
Sunt ejus gaudia  
Quæ ſemper ſubtrahunt  
Æterna præmia  
Et ducunt hominem  
Ad rura devia.  
Nil tuum dixeris  
Quod potes perdere.  
Quod mundus tribuit  
Intendit rapere :*



RI  
cia,  
on-  
gra-  
am!  
nt,  
bad  
or-  
fre-  
ta-  
In-  
træ